

jam mendacium de Resurrectione nullâ redimebant. Partim, ut Resurrectionis fides magis; increbesceret: Populus siquidem cognitâ veritate tum de doctrinâ Christianâ melius sentire, & fraudes sacerdotum evidentius deprehendere cepit; adeoq; hoc pacto eò magis veritas cõfirmata fuit, quod milites audacter mentiri edoctos pecuniæ quadâ copiâ & forsitan majori, ut probabile est, quàm Judam prodentem corruerint. Unde enim, quæso, affirmare audent, corpus Christi à Discipulis furto sublatum esse? Aut enim unus militum in specula constitutus (posito sc. reliquos omnes somno occupatos fuisse; Id namq; juris militaris est, ut, qui in custodiâ positi, semper ordine singuli stationes agant.) id vidisset, aut omnes. Si unus, quanta negligentia fuisset, reliquos non excitasse, quò fures pellere potuissent. Si vero omnes viderunt, splendide mentiuntur, quod dormierint. Adeoq; illi, quibus sepulchri custodia commissa erat, ut Resurrectionem impedirent, Resurrectionis infallibiles præcones ac testes evadunt.

§.9. Cæterum cum testificationibus singulorum horum viventium, arcto quasi vinculo connexæ, coherent variæ ille ac multiplices Christi apparitiones, quibus ipsemet Resurrectionem suam probare voluit. Quod ipsum argumentum etiam ipse Apostolorum princeps in negotio probandæ Resurrectionis Christi valdè urget 1. Cor. 15, 5. & seqq. Vivum enim se præbuit discipulis suis Christus variis certissimisq; signis, post Resurrectionem suam quadraginta diebus sequentibus aliquoties apparens, deque regno Dei cum eis conferens. Act. 1, 3. Apparuit autem (1) Mariæ Magdalene apud sepulchrum Marc. 16, 9. Joh. 20, 14. & seq. Pontificii quidem hoc loco contendunt, primò omnium apparuisse Christum B. Mariæ Virgini, parenti suæ; huic enim singularis hæc lætitia & gloria (ratio illorum est) potissimū tribuenda, imò debita, quippè quæ præ incomparabili amore de Filii sui passione plus cæteris omnibus doluerit. Sed hanc opinionem Scriptura S. partim silentio, partim contrariâ affirmatione in dubium vocat, dum primam Christi apparitionem Magdalene expressè tribuit loco cit.

§.10. Apparuit (2) mulieribus à sepulchro reversis Matth. 28, 9. Id

V. Argu-  
m. à diver-  
sis Christi  
redivivi  
appariti-  
onibus

B

9. Id